

§. 19. Atque ita hunc locum *Apostoli*, *Danielitico* parallelum agnovit, ac de *AntiChristo* interpretata est universa antiquitas, non refragantibus *Dd. Pontificiis*, *Job. Maldonato*, *Ben. Pererio*, *Cornelio Cornelii à Lapide*, præter *Gasparum Sanctiũ*, aliis. *Hugo* verò *Grotius*, *commentatione de AntiChristo*, de *Cajo Caligula*, *Cæsare Imperatore* pronuper somniavit ad comma usque septimum, verbisque *Paulinis* hunc induit sensum: *Cajus*, qui *paria fecit Antiocho Dan. XI 36. iis*, quos ipse habebat deos, *idolis gentium*, non se equavit modò, sed & prætulit, *Jovi nempè Olympio & reliquis de astris. iis quoq;*, quæ cultui Dei aut eorum, qui dii putantur, inserviunt, *templis simulacris deorum insignibus sacrificiis Jovis ac Veneris*. Ingeniosè quidem, sed parum solidè. id quod *Hypolitus Fronto Caracotta*, qui *Petrus Molinæus* creditur, *Samuel Maresius*, qui *Grotio* audit *Borborita & Job. Coccejus* pridem demonstrarunt. Nempè ruinoso inniti fundamento. quum posterior ad *Thessalonicenses & ordine & tempore secunda* sit, ac scripta fuerit imperante *Claudio*, Anno ab ascensione *Christi* præterpropter XVII, *Cajo* dudum defuncto. quod ex professo probat *Ludovicus Capellus*. Quæ verò *Grotius* appendice *Commentationis* replicavit, quâ viam sibi sternere visus est ad *Christianam concordiam*, ea *Maresius & Jacobus Laurentius* examinarunt. Videnda quoque scripta adversaria *Andreae Riveti & Grotii Annotationes ad Consultationem Cassandri*, *Animadversiones*, *examen Animadversionum*, *Votum & Echo. Milleterij itè & Mosis Amyraldi, de la justification & du merite des œuvres.* super negotio conciliandarum Religionum.

H. Strigili
ad Cõment.
M. dissert.
de Antich.
C. brevi re-
petit. de A.
L. Historiã.
Apostolicã
p. 18 & 64.
seqq. Tab.
chronolog.
M. Antichr.
revelato. l. I
c. 5. ad 30. L.
Grotio Pa-
pizante

§. 20. Sanè *Cajum*, quem nonnulli *Ebræorum ad Danielem* intelligunt, *Antichristo* præluisse non usque adeò negaverim. utpote qui tot vitiorum monstrum extitit, ut non temerè aliquis successorum eum exæquarit. Vivò *Tiberiò*, eodemque ex inctò, injurias sibi illatas, quin & injustam matris fratrumque cædem insigni dissimulatione transmisit, ac sub auspiciũ imperii ludis, certaminibus, donativis, auram populi captavit. Ex eo superbiã, libidine, avaritiã, crudelitate omnium vicit expectationem. Etenim non contentus cognominibus *Patris exercituum, Casaris optimi Maximi*, divinam quoq; majestatem ad-

Grafer. p. 133